Anat. 4
154

4° Anat. 154

Digitized by Google

JOANNIS JACOBI RAU

EPISTOLA

DE

Inventoribus ſepti ſcroti,

Ad Virum Clariſſimum

FREDERICUM RUISCHIUM,

ANATOMIÆ ET BOTANICES

PROFESSOREM.

AMSTELÆDAMI,
Apud Assuerum Lansvelt, Typographum.

M. D.C. CXIX.

Digitized by Google



Digitized by Google

DOCTISSIMO

FREDERICO RUISCHIO,

VIRO

De Re Anatomica bene Merito.

S. P. Dicit

JOHANNES JACOBUS RAU.

NE, haud ita pridem, causam meam egisse, tibi videar, futili prætextu RUISCHI Doctissime; quando finitâ tua Prælectione publica nuperrimè habitâ, de inventione Diaphragmatis Scroti confabularemur, ante triennium in Epistola quadam responsoria, abs te descripti, & delineati; & præcipuè num de hoc scroti Septo, Auctorum aliquis, aliquam fecisset mentionem; Ego in variis variæ ætatis Scriptoribus me id clarè notatum legisse, affirmabam, tu secus, nec illud vel in unico demonstrari posse, acriter tenebas, & ante te nullum unquam de hoc Septo somniavisse, multò minus scripsisse Auctorem,

Digitized by Google

ajebas, atque ideo, me magnum tibi futurum Apollinem, si unius Anatomici, sive veteris, sive Recentioris, allegare possem verba, hujus panniculi mediastini notitiam in se continentia; morem tibi gerendum esse judicavi, ne me malè moratum alii dicant, non vero vanæ illius gloriolæ aucupandæ instinctu, ut tibi fiam Apollo, sed ut veritas de inventionis Antiquitate hujus testiculorum Mediatoris & sequestri, per hos Auctores Lectori nostro clarius Explendescat; quorum, hæc sunt ipsissima verba.

CAROLUS STEPHANUS *Libr. II. de Dissectione partium Corporis Humani edit. Parisiis Anno M D XLV.*

Cap. XIX. Hæc habet verba. Inter utrumque testem Diaphragma quoddam est, & veluti septum, ac membranula quædam tenuis, extensa, permultis venulis intertexta, quæ, quidem obstat, quo minus se invicem collidant.

NICOLAUS MASSA *in Libro suo Introductorio Anatomiæ impresso Venetiis. Anno M D LIX.*

Cap. XX. Hæc dicit. Habet præterea ista bursa panniculum mediastinum, qui panniculus mediastinus est ex oscei substantia, qui dividit testiculum dextrum à sinistro, & sic bursa habet duos sinus, ita, quod quandoque extenditur ab uno latere tantum, ex defectu humorum, vel membrorum intrinsecorum, aut ventositatis, sive

Digitized by Google

ſive repletione propriarum venarum facientium varicoſam diſpoſitionem.

JOHANNES RIOLANUS *in ſua Anatome impreſſa Pariſiis Anno M DC X.*

Cap. XXIV. Hæc ſcribit Prima cõmunis tunica ex cuticula, & cute conflata, exterius rugoſa, pilis undique conferta in adultis, ſcrotum dicitur; quod, linea quadam ab ano per perinæum ad glandem uſque penis exporrecta, in duas partes videtur diremptum. Altera cõmunis tunica panniculi carnoſi propago eſt quæ διάφραγμα vocatur, ab ejus media parte diaphragma quoddam membraneum exurgit, teſtes inter ſe diſtinguens ne mutuo contactu collidantur.

THEOPHILUS GELÉE, *in ſijn Pit der Anatomie, vertaalt door A. V. W. Gedrukt tot Amſterdam Anno 1652.*

In 't ſevende Boek, aan 't 4de. Hooft-ſtuk, ſchrijft deſe woorden. *Door deſſelfs midden (hy ſpreekt van de Membrana Dartos) loopt een membraneus affcheidſel, dewelke de teſticulen van malkander ſcheid, op dat ſy in 't raaken tegens malkanderen niet ſouden geſtooten werden.*

Digitized by Google

PETRUS LAUREMBERGIUS *in ſua Anatomia Corporis Humani, impreſſa Francofurti M DC LXV.*

de membranis teſtes involventibus differens, dicit. Ab his eſt panniculus membraneus à pleriſque ſilentio prætertus, quo mediatore & ſequeſtro, duo teſtes à ſe invicem in ſcrotulo ſuo diſcriminantur.

JOHANNES RIOLANUS FILIUS *in Enchiridio Anatomico Francofurti impreſſo Anno M DC LXXVII.*

Libr. II. Lect. XXXV. De ſcroto hæc dicit. In gratiam teſticulorum ſepto membranoſo dirimitur, in duas cavitates, quæ, recipiunt teſticulos.

DIONIS *dans ſon Anatomie de l'Homme, imprimée a Paris* 1690.

dans la quatriéme Demonſtration, parlant de la membrane charnüe du ſcrotum, dit. Elle n'envellope pas ſeulement les deux teſticules, comme le ſcrotum, mais elle s'avance entre eux, pour ſeparer l'un de l'autre, & empêcher par ce moyen, qu'ils ne ſe froiſſent en s'entre-touchant. Hæc in Latinam Linguam ſic tranſlata ſunt. Anno M DC XCVI. Non modo ut ſcrotum duos teſticulos

Digitized by Google

culos obvolvit (Auctor loquitur de membrana ſcorti carnoſa) ſed inter utrumque protenditur, ut eos ab invicem dirimat, & hoc pacto impediat, quin ſe invicem mutuo affrictu lædant.

hanc itaque, ſeptem Auctorum, Septi revelati notitiam, ſi malè tuleris dexterrimè RUISCHI: hujus me revelationis pœnitebit, ſi bene nihil mihi contingere poterit optatius. *Vale.*

Scripſi Amſtelædami die XIX. *menſis Junii*
Anno M DC XCIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google